



## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate, de  
Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non  
Dissertationem Theologicam de Probabilitate

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniæ Agrippinæ, 1671**

§. VIII. Ratio specialis pro causis liberis, sumpta ex indifferentia voluntatis

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78232)



tas actionem immanentium est aliqua realis perfectio, ac proinde debet esse actu & immediate a Deo. Ex quo sic formatur argumentum: Actio vitalis, in quantum hujusmodi, est actu & immediate Deo tanquam a prima causa: Sed eadem actio, in quantum vitalis, est a causa secunda: Ergo quod est a causa secunda, est a Deo tanquam a causa prima, actionem secundum rationem secundum quam est a causa secunda. Major patet, Minor probatur: Quia vitalitas actionis create consistit in dependentia a principio intrinseco creato, & connexionem necessarium cum ipso.

Ex quo habes, quod licet quando causa concurrentes ad eandem actionem sunt ejusdem ordinis, non possit una causam actionem alterius, prout est ab illa, bene tamen quando una est superioris ordinis, & continet omnem perfectionem inferioris; praesertim si ejus causalitas sit universalissima; & ad omnes rationes & modos entis se extendat, ut contingit in proposito.

§. VIII.

Ratio specialis pro causis liberis, sumpta ex indifferentia voluntatis.

Hanc rationem tangit D. Thomas hic qu. 9. art. 4. ubi sic discuitur. Omne quod quandoque est in actu, quandoque in potentia, indiget moveri, determinari, & constitui in actu ab aliquo movente, quod sit semper in actu & nunquam in potentia: Sed voluntas humana est quandoque in actu, quandoque in potentia; incipit enim aliquando velle aliquid, quod antea non volebat. Ergo ad hoc ut actu velit, indiget moveri ab aliquo movente, quod sit semper in actu & nunquam in potentia, quod ut constat, non potest esse nisi Deus.

Eandem rationem sub alijs terminis proponit. Phisic. lect. 8. ubi ait: Sicut potentia motiva, qua est ad utrumlibet, non exit in actum, nisi per potentiam appetitivam determinetur ad unum, ita nihil quod est ad utrumlibet exit in actum, nisi per aliquid determinetur ad unum; quia id quod est ad utrumlibet, est sicut ens in potentia; potentia autem non est principium agendi, sed solum actus: unde ex eo quod est ad utrumlibet, nihil sequitur, nisi per aliquid aliud quod determinat ad unum. Et 3. contra Gentes cap. 2. Quod indifferenter se habet ad multa, non magis unum operatur quam aliud; unde a contingere ad utrumque non sequitur aliquis effectus, nisi per aliquid per quod ad unum determinetur.

Ex quo possumus secundum formare argumentum. A principio indifferenti & indeterminato non sequitur actio determinata, nisi prius determinetur ab alio quod sit in actu: Tum quia indifferens & determinatum inter se opponuntur, & se habent sicut frigidum & calidum; a quoque sicut a frigido, ut tali, non potest calor procedere; ita nec ab indifferenti, ut indifferens est, actus determinatus exire: Tum etiam, quia id quod est ad utrumlibet, est sicut ens in potentia; ens autem prout in potentia, non est principium agendi, sed solum prout est in actu, ut docet D. Thomas loco citato, & i. 2. qu. 79. art. 2. ubi ait: Omnis actio causatur ab aliquo quod est in actu, quia nihil agit nisi secundum quod est in actu: Atqui (subsumo) voluntas creata ex se est principium indeterminatum & indifferens ad

Tom. III.

utrumlibet: Ergo nusquam exibat in actum determinatum, nisi prius determinetur ab eo qui est semper in actu respectu totius objecti, id est a Deo.

Respondet Suarez libro 3. de auxiliis cap. 42. 81. & 43. quod voluntas nostra, quamvis sit indifferens & in potentia ad suos actus, tamen propter eminentiam suae virtutis, & propter suam libertatem, ac perfectum dominium quod habet in suos actus, est virtualiter in actu, ac proinde non indiget determinari & reduci in actum ab aliquo agente extrinseco, sed potest seipsam determinare, & in actum reducere.

Sed contra: Quamvis voluntas ratione suae libertatis habeat dominium in suos actus, illud tamen non est supremum & absolutum, sed dependens a supremo & universalissimo Dei dominio, eiq; subordinatum: Ergo licet possit in suo ordine, & ut secundum liberum, ac secundum movens & determinans, seipsam movere, determinare, & in actum reducere, id tamen non potest prestare, nisi cum subordinatione ad primum liberum, primumque movens & determinans; ac proinde nisi dependenter ab ejus motione & determinatione. Sicut quia vasallus vel feudatarius non habet supremum dominium in fundum, non potest de illo disponere, nisi cum subordinatione & dependentia a Rege, vel Domino cui subditur. Unde praclare Divus Thomas in hac parte quaest. 109. art. 2. ad 1. Homo est dominus suorum actuum volendi, & non volendi, propter deliberationem rationis, quae potest flecti ad unam partem, vel ad aliam: sed quod deliberet vel non deliberet, est hujusmodi etiam sit dominus, oportet quod hoc sit per deliberationem praecedentem: & cum hoc non procedat in infinitum, oportet quod finaliter deveniatur ad hoc quod liberum hominis arbitrium moveatur ab aliquo exteriori principio, quod est supra mentem humanam, scilicet a Deo.

Confirmatur: Idem S. Doctor i. p. quaest. 19. art. 3. ad 5. ait: Causa quae est ex se contingens, oportet quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum: sed voluntas divina, quae ex se necessitatem habet, determinat seipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam. Quibus verbis hoc inter voluntatem divinam & creatam discrimen constituit, quod voluntas divina, quia est primum liberum, & primum determinans simpliciter, determinat seipsam per se primo, & independenter a quocumque extrinseco determinante; voluntas vero creata, quia non est primum liberum simpliciter, nec prima causa suae electionum, non se determinat nisi secundario, ac dependenter a motione & determinatione voluntatis divinae: Unde in 2. dist. 25. qu. 1. art. 2. ad 3. sic dicit: Determinatio actionis & finis in potestate liberi arbitrii constituitur, licet non ita sicut primo agenti. Ergo voluntas creata, ob eminentiam suae virtutis, & dominium in suos actus liberos, non habet quod possit independenter a motione & determinatione Dei, seipsam movere & determinare: imo potius, cum ejus libertas sit potentialis, & Deo subordinata, indiget ab illo moveri, determinari, ac in actum reduci.

Respondet secundo Petrus a S. Joseph in opusculo supra citato, disp. 2. sect. 6. Deum movere & determinare voluntatem, motione quadam & determinatione generali, in quantum scilicet illam applicat ad primam intentionem

finis;

X



finis, & ad volitionem boni in communi, ex qua postea per consilium & deliberationem seipsam movet & determinat ad electionem mediorum, seu volitionem bonorum particularium.

85. Sed contra primò: Voluntas volitione illà boni in communi ad summum constituitur in actu primo ex parte sui, quantum ad specificationem in bona particularia: Ergo præter hanc motionem generalem, requiritur adhuc alia specialis, quã ad eligenda media determinetur. Probatur Consequentia: quia ut docet D. Thomas locis supra §. 1. citatis, causa secunda constituta in actu primo, indiget adhuc motione & applicatione Dei, ut exeat in actum secundum.

86. Contra secundò: A principio indifferenti, ut indifferens est, non potest exire actus determinatus, nisi prius determinetur ab alio, inquit idem S. Doctor locis supra relatis: Sed positã primã intentione finis, & volitione boni in communi, voluntas adhuc manet indifferens ad electionem hujus vel alterius medij, seu ad volitionem hujus vel illius boni particularis: Ergo adhuc eget à Deo determinari.

87. Contra tertio: Idem Angelicus Doctor docet voluntatem creatam ita moveri & applicari à Deo, ut tamen seipsam moveat & applicet: unde infra qu. 111. art. 2. dividit gratiam in operantem & cooperantem, & ait quod in illo effectu in quo mens nostra est mota & non movens, solus autem Deus movens, operatio Deo attribuitur, & secundum hoc dicitur gratia operans. In illo autem effectu in quo mens nostra & movet & movetur, operatio non solum attribuitur Deo, sed etiam animæ, & secundum hoc dicitur gratia cooperans. De quo in tractatu de gratia. Sed in prima volitione finis, & alijs actibus indeliberatis, voluntas non se movet & applicat, sed movetur solum & applicatur à Deo, ut docet idem S. Doctor hic quæst. 9. art. 4. & patet ex dictis disceptationibus precedenti art. 2. Ergo ex Divo Thoma, Deus non solum movet, applicat & determinat voluntatem ad primam volitionem finis, & ad alios actus indeliberatos & necessarios, sed etiam ad electionem mediorum, & ad ejus actus deliberatos seu liberos. Unde quæst. 6. de malo art. unico, initio articuli ait: Homo ad eligendum movetur quodam interiori instinctu, scilicet ab ipso Deo, & immobiliter, non tamen repugnat libertati, ut postea explicat in resp. ad 3. Item in resp. ad 17. Voluntas (inquit) quando de novo incipit eligere, transmutatur à sua priori dispositione, quantum ad hoc quod prius erat eligens in potentia, & postea fit eligens actu. Et hæc quidem transmutatio est ab aliquo movente, in quantum ipsa voluntas movet seipsam ad agendum, & in quantum etiam movetur ab aliquo exteriori agente, scilicet Deo: non tamen ex necessitate movetur, ut dictum est. Denique 3. contra Gentes cap. 91. sic dicitur: Oportet omne multiforme, & mutabile, & deficere potens, reduci sicut in principium in aliquid uniforme & immutabile, & deficere non valens. Omnis autem quæ in nobis sunt, inveniuntur esse multiplicia, variabilia & defectibilia: patet enim quod electiones nostra multipliciter habent, cum in diversis & à diversis diversimodè eligantur: mutabiles etiam sunt, tum propter animi levitatem, qui non est firmatus in fine ultimo; tum etiam propter mutationem rerum quæ nos extra circumstant: Quod autem defectibiles sunt, hominum peccata restantur: divina autem voluntas uniformis, immutabilis, & indeficiens est. . . . Oportet ergo omnium volunta-

tum & electionum motu: in divinam voluntatem reduci; non autem in aliquam aliam causam: quia solus Deus nostrarum voluntatum & electionum causa est.

Tertio alij Recentiores respondent, voluntatem ab objecto determinari, quantum ad speciem actus, à Deo autem, quantum ad individuum. Ita Suarez disp. 5. Metaph. sect. ultimã citans Fonseca, Toletum, Comibriceuses, & alios.

Sed contra: Licet intellectus, mediante objecto proposito, extrinsecè & objective possit determinare voluntatem ad speciem actus, hæc tamen determinatio non sufficit, ut possit in actum determinari, & exire: Tum quia cum voluntas sit intrinsecè indeterminata & in potentia, ut talis indeterminatio & potentialitas tollatur, debet activè determinari, & actuari per aliquid intrinsecum, scilicet per divinam motionem in ea receptam, prius saltem naturã quam operetur: Tum etiam, quia ut actu operetur, debet esse determinata non solum quantum ad specificationem, sed etiam quantum ad exercitium actus: Atqui nullum objectum creatum, imò nec ipsum bonum universale, quod est Deus, quantumvis congruè propositum, voluntati hominis dum est in via, potest eam efficaciter movere & determinare quantum ad exercitium actus, ut docet D. Thomas hic qu. 10. art. 2. Ergo non sufficit determinatio extrinsecè, sicut tenens ex parte objecti.

Deinde, si Deus determinet voluntatem ad eliciendam hanc numero operationem potius quam aliam, ut docet Suarez, sequitur Deum tollere libertatem, & esse causam peccati, quæ sunt duo absurda & inconvenientia, quæ pallium nobis obijciunt Adversarij. Probatur sequela quoad utramque partem. Et primò quod sequatur libertatis destructio, sic ostenditur. Libertas voluntatis est duplex, una specificationis, altera exercitij; prima dicit potestatem eligendi actum hujus vel illius speciei; secunda virtutem circa actum in individuo, & prout hic & nunc exercetur: Sicut ergo Adversarij contendunt, quod Deus libertatem specificationis tolleret, si voluntatem ad speciem actus determinaret, quia, inquit, ita de ratione cause liberæ est seipsam determinare, ut repugnet eam à quocumque agente extrinsecò, etiam increato, determinari: Ita ex eodem principio, quod est veluti Adversariorum Achilles, nobis licet inferre, destrui libertatem exercitij, si Deus voluntatem ad hanc numero operationem eliciendam determinet. Unde vel gladius quem in nos acciunt Adversarij, plumbeus est, vel eo patet jugulatur libertas exercitij.

Quod etiam juxta hunc modum dicendi, Deus sit Author peccati, facile suadet: nam in actu peccati quantum ad individuum reperitur aliqua malitia specialis, & distincta ab ea quæ ipsi convenit secundum suam rationem specificationem, putã ea quæ sumitur ex intentione actus, vel ex circumstantijs aggravantibus intra eandem speciem: Ergo si Deus determinet voluntatem creatam ad eliciendum hunc actum odij, v. g. potius quam alterum, eam determinabit ad aliquam speciem malitiam & deformitatem, subindeque erit author peccati, vel saltem alicujus specialis malitiæ in eo inclusa. Hanc rationem latius profecuri sumus in tractatu de voluntate.



voluntate Dei. Unde eam hinc sub brevitate A  
transcurramus, ut ad alias progrediamur.

§. IX.

*Alia ratio desumpta ex dominio Dei in nostras  
voluntates.*

Hanc rationem breviter ac strictim attigi-  
mus, impugnando scientiam mediam, &  
explicando concordiam libertatis cum præde-  
terminatione; sed fusiùs modò expendenda est, &  
magis urgenda.

Sic ergo eam propono: Prædeterminare vo-  
luntatem est eam applicare ad agendum, seu ad  
actum determinatum elicientium: Sed Deus  
applicat voluntatem ad agendum: Ergo & ip-  
sam prædeterminat. Major pater ex supra dictis:  
ostendimus enim Deum per concursum dunta-  
taxat simultaneum, non posse applicare causas  
secundas ad agendum. Minor verò syadetur:  
Deus habet perfectum dominium in nostram  
voluntatem, sicut & in alias creaturas, juxta il-  
lud Esther 13. *Dominus universorum tu es*. Ergo  
eum applicat ad agendum. Antecedens est cer-  
tum, cum dominium Dei fundetur in creatione  
& conservatione, & voluntas non minùs indi-  
geat à Deo creati & conservari, quàm alia res  
universi. Consequentia verò sic ostenditur. U-  
sus rei est proprius actus dominij, quod idcirco  
deditur facultas utendi re in omnes usus à le-  
ge permissos. *Vsus autem alicujus rei, nihil aliud est,  
quam applicatio illius rei ad operationem*, inquit S.  
Thomas infra qu. 16. art. 1. Ergo si Deus perfe-  
ctum habet dominium in nostras voluntates,  
eas ad agendum applicat.

Confirmatur: Ideo voluntas nostra applicat  
potentias inferiores ad suos actus, quia est illa-  
rum domina & regina, ut docet S. Thomas hic  
qu. 9. art. 1. Sed Deus perfectius habet domini-  
um in nostram voluntatem, quàm ipsa in potentias  
inferiores: Ergo à fortiori debet voluntatem ad  
agendum applicare.

Respondent Adversarij, Deum moraliter  
applicare voluntatem, ipsam invitando & exci-  
tando ad volendum, & operandum, non verò  
physicè eam præmovendo: sicut, inquiunt, ipsa  
voluntas non physicè, sed moraliter movet &  
applicat potentias inferiores, ratione sympa-  
thiæ & colligationis potentiarum in eadem  
anima.

Sed contra primò: Falsum est voluntatem  
non movere & applicate physice potentias infe-  
riores, ut Disput. præcedenti art. 1. ostendimus,  
& aperte colligitur ex D. Thoma 1. p. qu. 82. art.  
4. ubi ait: *Voluntas movet intellectum & alias poten-  
tias, sicut alterans movet alteratum, & impellens  
movet impulsivum*; quod totum ad motionem phy-  
sicam pertinet.

Contra secundò: Esto voluntas moraliter  
tantum movet & applicet potentias inferiores  
ad suas operationes, ex hoc non rectè colligitur  
Deum moraliter duntaxat movere & applicare  
voluntatem ad agendum: Tum quia Deus &  
voluntas creata non conjunguntur in eodem  
supposito, nec radicanur in eadem anima, sicut  
voluntas & potentia inferiores; unde Deus non  
potest per nudam & solam sympathiam, & abs-  
que impressione alicujus virtutis aut motionis,  
applicare voluntatem ad agendum; sicut juxta  
aliquorum sententiam, voluntas ratione solius

sympathiæ & colligationis, seu radicationis in  
eadem anima applicat potentias inferiores, abs-  
que eo quod aliquid reale illis imprimat, & phy-  
sicè eas immutet. Tum etiam, quia cum Deus  
perfectius habeat dominium in nostram volun-  
tatem, quàm voluntas in potentias inferiores,  
& proprius actus dominij, sit usus & applicatio  
rei, Deus nobiliori & altiori modo, atq; ad eò  
physicè, & non solùm moraliter, eam movere  
& applicare debet.

Tertiò: Ex D. Thoma qu. 22. de verit. att. 8.  
*Sicut voluntas potest immutare actum suum in aliud,  
ita & multò amplius Deus*: Sed voluntas non so-  
lùm moraliter, sed etiam physicè seipsum appli-  
cat ad agendum, ac movet de uno actu in alium,  
absq; violentia & læsione libertatis: Ergo mul-  
tò magis Deus id potest. Unde idem S. Doctor  
ex illo Pro verb. 21. *Cor Regis in manu Domini, quo-  
cumq; voluerit vertet illud*, probat 3. contra gent.  
cap. 88. solum Deum posse movere voluntatem per  
modum agentis, id est verè efficienter, ut distin-  
guitur contra motionem moralem, sicut colli-  
gitur ex quarta ratione, ubi explicans quid sit  
moveri per modum agentis, ait: *Dico autem mo-  
veri ab extrinseco principio quod moveat per modum  
agentis, & non per modum finis*. Quare D. Prosper  
in carmine de ingratis, divinæ gratiæ efficacita-  
tem declarans, docet illam non solis consilijs  
& suasionibus movere, sed intus immutare ac  
reformate mentem hominis.

*Non hæc consilio tantùm, hortatq; benigno,  
Suadens atq; docens, quasi normam legis haberet  
Gratia, sed mutans intus mentem atq; reformans,  
Vasque novum ex fracto fingens, virtute creandi.*

Item Divus Bernardus supra citatus ait, quod  
Deus voluntatem applicat operi, & opus explicat vo-  
luntati. Quibus verbis utramq; motionem a-  
pertè declarat, physicam scilicet, cum dicit  
quod *voluntatem applicat operi*; & moralem,  
cum subdit, & *opus explicat voluntati*, id est,  
convenientiam & bonitatem objecti seu ope-  
ris ei ostendit, quod ad motionem moralem  
pertinet.

Quartò, Si Deus moraliter tantum posset  
movere & applicare voluntatem, eamq; con-  
silijs solùm ac suasionibus excitare, haberet in  
eam dominium duntaxat politicum & civile,  
non autem regale & monarchicum; quod vide-  
tur absurdum, quia juxta Augustinum, Deus  
habet cordium inclinandorum omnipotentissi-  
mam potestatem, magisque in sua potestate vo-  
luntates hominum, quàm ipsi homines, eique  
volenti salvum facere, nullum humanum resi-  
stet arbitrium. Item Scriptura Proverb. 21. ait:  
*Sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Do-  
mini; quocumque voluerit vertet illud*. Ubi divinæ  
voluntati aperte tribuitur vis ad inclinandum  
& trahendum cor humanum, quocumque vo-  
luerit, idque eadem facilitate & suavitate,

quæ rivi aquarum humanà opera in diversas  
partes absque ulla violentia feruntur, ut egre-  
gè declarat Cajetanus ibidem, his verbis: *Effi-  
caciâ simul & facilitatè divinæ operationis ad in-  
clinandum cor hominis, quocumq; Deo placuerit, de-  
scribit Salomon instar dividentiæ aquam in multos ri-  
vos, Facillima est enim divisio aqua in multos rivus,  
eò quod aqua non resistat divisioni. Quemadmodum  
itaque operatio hominis facillima est efficacia ad di-  
videndum aquam in multos rivulos, nec opus est la-  
borare ad hujusmodi divisionem, quamvis laborare  
oporteat ad faciendos alveos per quos aqua deducatur*;